

quia odor pomii ad objectum potentia viviva non pertinet. Ita pariter, licet oculus corporeus videret supernaturaliter Christum in sacramento existentem, non visum modo supernaturaliter quo ibi existit, non diceretur abstrahere unum ab alio, quia talis modus, cum sit spiritualis & incorporeus, intra objectum potentia viviva non continetur.

§. II.

Solvuntur objectiones.

95 Obijcies primo: Nullum objectum potest videri sine specie: Sed nulla potest dari species representans corpus Christi ut in sacramento existens: Ergo non potest ut ibi existens videri oculo corporeo. Major docetur communiter a Philosophis. Minor probatur. Corpus Christi est in sacramento modo indivisibili & inextenso: Sed nulla species sensibilis potest representare objectum existens modo indivisibili & inextenso, quia omnis species sensibilis, cum sit materialis, debet esse extensa & divisibilis: Ergo nulla potest dari species representans corpus Christi, ut in sacramento existens.

96 Respondeo, data Majori, negando Minorem: & ad ejus probationem dico, quod species divisibilis representare nequit objectum indivisibiliter existens, si existat indivisibiliter tam in ordine ad se, quam in ordine ad locum: focus vero si existat indivisibiliter tantum in ordine ad locum, & sit divisibile in ordine ad se, unde cum objectum carens extensione locali possit habere extensionem integram partem in se, ut de facto habet corpus Christi in Eucharistia, per speciem divisibilem oculo corporeo representari potest.

97 Dices: Eito corpus Christi, ut in sacramento existens, videri possit per speciem extensam & divisibilem, non potest tamen ut ibi existens, talem speciem emittere, & per medium in potentiam diffundere; cum talis emissio & diffusio speciei exigat extensionem & contactum quantitativum mediis, que non competunt corpori Christi in Eucharistia: Ergo licet ut ibi existens, per speciem extensam & divisibilem representari possit, nihilominus videri nequit oculo corporeo.

98 Respondeo, dato Antecedenti, negando Consequentiam, quia ut supra dicebamus, esse corpus Christi, ut in sacramento existens, talem speciem emittere, & in sensum immittere nequeat, illa tamen potest immediate produci a Deo in oculo, vel Deus potest in objecto supplere defectum extensionis localis, cum illa sit conditio solum extrinseca, nec redundat in rationem formalem objecti, sicut extensio integralis partium in se.

99 Inhibet? Solum sensibile proprium de absoluta Dei potentia non potest videri, sed requiritur concursus sensibilis communis, quem Deus supplere non potest, quia non est pure effectivus, sed etiam formalis, eo quod modificat speciem sensibilis proprii: Atque extensio in ordine ad locum, est sensibile commune, ut docent Philosophi in libris de anima: Ergo Deus non potest supplere defectum extensionis localis in objecto visibili.

100 Respondeo negando quod sensibile proprium de absoluta Dei potentia non possit videri, sine concursu sensibilis communis; siquidem nihil deest sensibili proprio quod pertinet ad rationem objecti: modificatio enim sensibilis communis non requiritur ut objectum habeat absolute rationem objecti, sed ut fiat objectum proportionatum potentie: unde cum Deus possit potentiam elevare ad objectum improportionatum, non est necesse quod suppleat hujusmodi modificationem. Sicut approximatio & indistantia necessarii est ut agens modo connaturali agat; sed quia interdum elevatur supra modum agendi connaturali, & agere potest in distans, non est necesse ut Deus suppleat eam modificationem & conditionem indistantiam, que non requiritur ad agendum absolute, sed ad agendum connaturaliter. Sicut etiam licet certa quadam proportio aut distantia inter potentiam & objectum requiratur, ita ut non possit connaturaliter objectum immediate supra sensum positum efficere sensationem, attamen de potentia Dei absoluta id non videtur negandum. Quis enim negat Christum dum lapidem vel fores penetraret, lapidem vel janam vidisset, aut oculum Beati; si aliquid corpus penetraret, tale corpus visurum: quia scilicet hujusmodi modificatio necessaria est solum ut objectum sit proportionatum. Idem dicendum in proposito, nimirum quod modificatio sensibilis communis requiritur solum ut objectum possit videri connaturaliter; & si desit hae conditio, nihilominus poterit objectum de absoluta Dei potentia videri, neque necessarium est talem modificationem a Deo suppleri.

101 Obijcies secundo: Si oculus corporeus posset elevari a Deo ad videndum corpus Christi ut existens in Eucharistia, maxime quia illud, cum sit coloratum, continetur intra objectum specificativum potentie viviva: Sed hae ratio non valet: Ergo non precipuum fundamentum nostrae sententiae. Major patet ex supra dictis, Minor probatur.

batur. Color & alia accidentia corporis Christi sunt in sacramento ad modum substantiae: Ergo sunt insensibilia, sicut ipsa substantia: Ergo licet corpus Christi, ut existens in Eucharistia, coloratum sit, nihilominus oculo corporeo videri nequit, etiam de absoluta potentia.

Respondeo, concessa Majori, negando Minorem: & ad ejus probationem dicendum, quod omnia accidentia corporis Christi in Eucharistia, sunt ad modum substantiae; eo sensu quo sunt modo indivisibilia, non vero modo indivisibilia; nam inseparabile est a calore quod sit visibilis cum id essentialiter habeat ex eo quod sit objectum sensus & qualitas sensibilis, sicut inseparabile est a quantitate, quod habeat extensionem partium in ordine ad se.

ARTICULUS VI.

Quaeritur quomodo corpus Christi desinat esse in hoc sacramento?

Dico primo: corpus Christi desinit esse sub speciebus sacramentalibus, quando desitura fuisset propria illarum substantia.

Probat: brevier: Christus succedit speciebus, loco propriae substantiae: Ergo non ante desinit sub illis, quam desitura fuisset propria substantia.

Confirmatur: Deus nunquam se subtrahit a rebus, nisi res ipse talem subtractionem possint; nam ut ait Apostolus ad Roman. 11. *Dona Dei sunt sine partitione*. Sed presentia Christi sub speciebus panis & vini, est maximum donum hominibus concessum: Ergo nunquam a speciebus illis se subtrahit, nisi ipse hanc subtractionem possint: quod solum tunc contingit, quando desitura fuisset propria illarum substantia. Unde erronea est, & a Gregorio XI. et refertur in diebtorio Inquisitionum, damnata aliquorum sententia, qui dicunt, desinare Christum sub sacramento, quando in aliquem locum immundum projicitur; cum enim corpus Christi sit in hoc sacramento impassibiliter, nullam contrahit in his casibus in seipso immunditiam, ut refert S. Thomas in 4. dist. 9. q. 1. art. 2. questione. 1. ad 3.

Ex his inferes, nunquam desinare corpus Christi sub speciebus, nisi succedente alia substantia, a pane & vino diversis: Nam Christus (ut diximus) non desinit sub speciebus, nisi quando desitura fuisset propria substantia: At propria substantia nunquam desitura fuisset, nisi alia genita fuisset; quia naturaliter nunquam corrumpitur unam, quin generetur alia specie diversam; nulla enim alteratio corrumpens individuum unius speciei disponit ad generationem alterius ejusdem speciei, ut experientia constat: Ergo non desinit corpus Christi sub speciebus, nisi illis succedat alia substantia, a pane & vino specie diversis, puta acetum, loco substantiae vini, aut vermes loco substantiae panis.

Dico secundo: corpus Christi non desinit esse sub speciebus, per transubstantiationem sui in substantiam substantialem.

Probat: Quod convertitur in aliud per transubstantiationem, desinit simpliciter esse, ut patet de substantia panis conversa in corpus Christi: Sed corpus Christi non desinit simpliciter esse in se, per hoc quod desinit esse sub speciebus; quia adhuc remanet in celo: Ergo corpus Christi non desinit esse sub speciebus, per transubstantiationem sui in substantiam substantialem.

Confirmatur: Inter desinonem corporis Christi, & incorporationem alterius substantiae, non est aliqua connexio, cum ex vi desinonis illius, non magis incipiat esse una substantia, quam alia: Ergo corpus Christi non desinit esse per conversionem in aliam substantiam.

Dico tertio: corpus Christi non desinit esse sub speciebus per annihilationem, aut per solam privatam loci mutationem, sed per desinonem quandam substantialem, innominatam.

Ratio hujus conclusionis est, quia cum corpus Christi non desinat esse sub speciebus per actionem conversionem sui in aliam substantiam, ut concludunt praecedenti ostensum est, consequenter habet desinare per cessationem illius influxus quo positum fuerat sub speciebus panis, & quo sub illis conservabatur: unde sicut non fuerat ibi positum per creationem, aut productionm simpliciter, quia corpus Christi praesupponatur existere simpliciter ante consecrationem; neque per actionem adductivam, ut praecedenti disputatione dictum est, sed per aliquem influxum substantialem; ita non desinit esse sub speciebus, per annihilationem, quae opponitur creationi, neque per solam privatam loci mutationem, quae opponitur actioni adductivae, sed per aliquam desinonem substantialem, quia cessatio influxus substantialis non potest non esse substantialis desinitio.

Dixi autem, hanc desinonem substantialem esse innominatam: neque enim potest vocari corruptio, Tum quia corpus Christi, cum sit jam gloriosum, est omnino incorruptibile: Tum quia corruptio proprie dicta fit per hoc quod

quod una forma succedit in locum alterius in eadem materia: nulla autem forma succedit in materia corporis Christi, alias sequeretur Christum toties mori, quoties desinit esse sub speciebus, contra illud Pauli ad Rom. 6. *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur*. Vocatur ergo desinitio substantialis tantum secundum quid, quia sicut per transubstantiationem corpus Christi non acquirit esse simpliciter, ita per cessationem hujusmodi transubstantiationis non amittit esse simpliciter.

DISPUTATIO VI.

De accidentibus Eucharisticis.

Ad quest. 77. D. Thomae.

Cum in conversione Eucharistica tota substantia panis & vini, in corpus & sanguinem Christi transmutetur, remanentibus dumtaxat accidentibus; postquam cum Sancto Doctore de mirabili illa transubstantiatione, & de modo quo Christus per illam est in Eucharistia, disputavimus, superest ut de ipsis accidentibus Eucharisticis differamus, pluraque quae circa illa occurrunt difficultates, brevier resolvamus.

ARTICULUS I.

Utrum accidentia Eucharistica sint sine subiecto substantiali?

1 Accidentia panis & vini in Eucharistia remanere, facta conversione totius substantiae panis & vini in corpus & sanguinem Christi, non solum fide divina certum est, & a Tridentino definitum, sed etiam sensibus ipsis notum; videmus enim in hostia consecrata albedinem, gustamus saporem, tangimus figuram, &c. Constat autem sensus non posse decipi circa proprium sensibile debite applicatum. Verum gravis difficultas est, an hujusmodi accidentia quae ante consecrationem substantiae panis & vini, ut subiecto quod inhererant, facta consecratione, & transmutatione substantiae panis & vini in corpus & sanguinem Christi, sine subiecto substantiali remaneant? Dixi sine subiecto substantiali, quia accidentia Eucharistica subsistentur in quantitate, ut articulo sequenti contra Nominales dicemus. Hoc praemisso, pro resolutione difficultatis, & declaratione ac defensione Catholicae veritatis contra hereticos,

2 Dico brevier, accidentia Eucharistica esse sine subiecto substantiali.

Conclusio est certa de fide, & definita in Concilio Constantiensi, sess. 8. contra Joannem Hus, qui hoc fidei dogma negabat, dicebatque quod *siingere accidens sine subiecto, erat blasphemare in Deum, scandalizare sanctos, & vituperare Ecclesiam, per verbum accidentis*. Similia dicunt Calvinista, & unum ex praecipuis argumentis quibus probare contendunt impossibile esse veram & realem existentiam corporis Christi in Eucharistia, sumunt ex eo quod accidens nequit sine subiecto existere: ut in disputatione proemiali art. 12. retulimus. Unde oppositum vocant inventum & commentum Innocentii III. in Concilio Lateranensi, ubi haec Catholica veritas sancta fuit, nec non in Tridentino sess. 13. can. 2. potestque brevier fuaderi, convellendum praecipuum hereticorum fundamentum. Nulla enim est contradictio quod accidentia sint separata ab omni subiecto: Ergo id potest affirmari de accidentibus Eucharisticis. Consequentia est evidens, Antecedens vero patet primo ex solutione objectionum. Secundo constat ex SS. Patribus: Basilium enim homil. 6. in Hexameron, docet prima die creatam esse lucem per se subsistentem, & ab omni subiecto separatam. *Primo die* (inquit) *ipsa natura lucis producta est, quarto autem die solis corpus, ut esset illi primogenita luci vehiculum, est conditum*. Excipitur: *Itaque ne mihi dixeris fieri hoc non posse, ut lux a corpore solis separaretur. Neque enim ego lux a solis corpore separationem mihi ac tibi possibilem esse dico; sed asserendum esse casum, qui mentis sola agitatione, cogitationeque disparari a se possunt, ea re ipsa seungi. Facultate Creatoris utriusque naturae posse*. Idem docet Nazianzenus orat. de novo die Dominico, & Theodoretus in questionibus super Genesim quest. 14. & 16. Ergo ex SS. Patribus nulla est repugnantia vel contradictio, quod accidentia sint separata ab omni subiecto, & careant inherencia actuali.

3 Idem probari potest argumento desumpto ex mysterio Incarnationis, quod disput. proemiali art. 7. insinuavimus. Inherencia enim actualis se habet ad accidens, sicut substantia ad substantiam, sicut enim substantia sicut substantiam, sic inherencia actualis complet accidens; ita non minus est de ratione substantiae & naturae completae per se subsistere, & propria substantia terminari, quam de ratione accidentis alibi subiecto inherere: Sed non obstante hac exigentia naturali quam habet substantia ut per se subsistat, & propria substantia terminetur, po-

test divinitus, propria & connaturali subsistentia privari, & subsistere in alieno supposito, ut patet in humanitate Christi, spoliata propria subsistentia & in supposito verbi divini subsistente: Quidni ergo similiter poterit accidens supernaturaliter, & de potentia Dei absoluta, carere inherencia sibi propria & connaturali, & ab omni subiecto separatim existere?

Potest enim fuaderi conclusio ratione D. Thomae hic art. 1. ubi sic dicitur: Accidentia Eucharistica non inherere substantiae panis & vini, cum illa desinat per consecrationem, ut disp. 4. ostendimus: neque etiam corpori Christi, alias corpus Christi in Eucharistia esset alterabile, corruptibile, & localiter extensum; neque aeri circumstanti, tum quia hujusmodi species non sunt ubi est aer circumstanti; quandoquidem ad motum aeris ipse non movetur: tum etiam quia non potest idem accidens de uno subiecto transire in aliud, cum accidentia numerum & individuationem accipiant a subiecto: Ergo nullum subiectum substantiale excogitari potest, cui accidentia Eucharistica inhererent; subindeque dicendum est, illa sine subiecto substantiali existere.

Obijcies primo: Minor est dependentia materiae prima a forma substantiali, quam accidentis a subiecto: Tum quia accidens individuatur a subiecto, unde mutato subiecto non est idem numero accidens; materia autem prima non individuatur a forma, quin potius illam individuat: Tum etiam quia materia prima non est entis ens, sicut accidens, sed est ens per se, unde essentialiter non dependet ab alia, sicut accidens: Sed materia non potest, etiam de potentia absoluta, esse sine forma substantiali, ut docent nostri Thomistae in Philosophia: Ergo a fortiori accidens non potest divinitus sine subiecto existere.

Respondeo quod licet in aliquibus accidentibus magis dependeat a subiecto, quam materia prima a forma, tamen in ordine ad existendum, major est dependentia materiae prima a forma, quam accidentis a subiecto; quia ut ostendunt Thomistae in Physica, materia prima desolata forma substantiali, non est in determinata specie perfecta & completa, carensque propria existentia, quam emendicat a forma, unde impossibile est quod sine illa existat: accidens autem non secundum se est in determinata specie, & habet propriam existentiam, atque ita independenter ab actuali inherencia potest existere.

Obijcies secundo: Deus non potest supplere casualitatem causae materialis, ut communiter docent Theologi, cum illa casualitas imperfectionem Deo repugnantem essentialiter importet: Ergo non potest facere quod accidens sine subiecto existat.

Respondeo quod licet Deus non possit supplere vicem causae materialis in eodem genere, quasi & ipse fiat causa materialis, recipiendo in se formam substantialem accidentalem, aut intrinsece componendo aliquod totum, id tamen potest in genere causae efficientis. Unde quando Deus dicitur sustentare accidentia Eucharistica, non est existimandum quod concurrat materialiter & subjective, id enim nimis imperfectionis est, quam ut Deo tribui possit, sed subsistentat efficienter, quatenus supplet per efficientiam id quod de concursu materiali desideratur. Quomodo autem id praestet, an per solam mantentiam, vel per alicujus modi existendi per se communicationem artic. 3. dicemus.

Obijcies tertio: Si accidentia panis & vini manerent in Eucharistia sine subiecto substantiali, essent in statu violento, cum accidens connaturaliter petat inherere subiecto: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud.

Respondeo negando sequelam Majoris: In qualibet enim re creata est duplex inclinatio naturalis: una ad bonum sibi proprium, & altera ad obediendum suo creatori; ex quibus haec posterior, potior est, & naturalior, ac vehementior, ideoque prior inclinatio, quoadmodum isti cedit: sicut inclinatio particularis enjuslibet partis respectu boni proprii, cedit inclinationi quam habet ad bonum commune: Quia ergo existentia accidentium sine subiecto substantiali in Eucharistia, est conformis huic secunda inclinationi, quamvis sic contra primam, accidentia Eucharistica non sunt in statu violento.

ARTICULUS II.

An quantitas panis & vini sit aliorum accidentium subiectum?

Ostendimus articulo praecedenti, accidentia Eucharistica carere subiecto substantiali, nullique inherere substantiae: nunc brevier discutendum est, an illa subsistentur in quantitate, illaque sola existat per se? Hoc enim negant aliqui Nominales, existimantes omnia accidentia esse sine subiecto & existere per se; quia nimirum arbitrantur, quantitatem non distingui ab ipsa substantia, & quodlibet accidens habere suam quantitatem: quae principia omnino ruinosa sunt, & a Philosophia Peripatetica & Thomistica penitus aliena. Unde

13 Dico breviter: Accidentia Eucharistica, ut color, sapor, & odor panis & vini consecrati, in quantitate subsistentur; idque ex vi miraculi quo conservatur quantitas separata a substantia panis & vini absque novo miraculo. Ita D. Thomas hic art. 2. ubi in argumento *sed contra*, rationem istam infinitur. Illa accidentia subsistentur in quantitate, quae ad divisionem illius sunt divisibilia: Atque accidentia Eucharistica, ut color, sapor, & odor panis & vini consecrati, sunt divisibilia ad divisionem quantitatis; Ergo in ea subsistentur. Minor experientia patet. Major vero ex eo suadetur quod qualitas secundum se non minus caret partibus, quam substantia, eaque subinde emendicat a quantitate: Ergo ubicumque invenitur qualitas divisibilis, sive quolibet aliud accidens, erunt divisibilia beneficio quantitatis: Sed non possunt divisibilitatem hanc & partes a quantitate recipere, nisi ei unantur & insint: Ergo illa accidentia subsistentur in quantitate, quae ad divisionem illius sunt divisibilia.

14 Probatur secundo conclusio ex eo quod iuxta hanc sententiam, quae asserit accidentia Eucharistica in quantitate subsistentur, salvatur primo connaturalis modus existendi reliquorum accidentium, cum omnia accidentia corpora connaturaliter inhereant quantitati, ut proximo & immediato subjecto. Secundo salvatur connaturalis modus agendi agentium naturalium, dum in accidentia consecrata agunt, educendo ex ipsa quantitate, ut ex proximo & sufficienti subjecto accidentia qua in ea producuntur; cum in contraria sententia fatendum sit a solo Deo illa produci per creationem independentem a subjecto: Quis autem dicat, cum ignis hostiam aut vinum consecratum calefacit, non ignem, sed solum hunc humilissimi calorem producere? Tertio salvatur connaturalis modus quo unum accidens expellit suum contrarium in hoc sacramento, quia dum in eandem quantitatem inducitur unum contrarium, per naturalem incompatibilitatem expellitur aliud. Quam formalem expulsiorem per physicam incompatibilitatem salvare non potest contraria sententia, quae nullum admittit commune subjectum, sub quo totum naturalem incompatibilitatem exerceri potest: unde recipere debet ad extrinsecam voluntatem Dei deservientis aut remittentis unum contrarium, quando aliud intenditur, absque physica exigentia ipsorum: cum ergo non sint multiplicanda miracula sine necessitate, dicendum est quantitatem in hoc sacramento esse subjectum reliquorum accidentium.

15 Quod adhuc argumento a posteriori & ab experientia desumpto, confirmari potest. Nam experientia constat, alia accidentia, puta colorem, saporem, odorem panis & vini, uniri inter se: Sed non immediate, per modum actus & potentiae, cum inter illa accidentia non sit major ratio cur unum potius habeat rationem actus, quam potentiae: Ergo unantur in aliquo tertio, quod non potest esse aliud quam quantitas, quae quia inter accidentia corpora primum tenet locum, & est prima dispositio materiae, maxime accedit ad genus causae materialis, unde comparatur ad alia accidentia corpora tamquam subjectum: ex quo fit, quod semel posito, quantitatem non esse in aliquo subjecto, sed per se subsistere, debeatur dici subjectum quod hujusmodi accidentium, quia tunc non recipiuntur in ulteriori subjecto.

Potesque id confirmari ex eo quod subsistere aliis, sequitur ad subsistere per se, unde Philosophus tribuit substantiae ut aliis possit subsistere, quia subsistit in se: Ergo hoc ipso quod quantitas subsistit per se, potest etiam aliis accidentibus Eucharisticis subsistere.

16 Ex quo probatur secunda pars conclusionis, quod scilicet non sint necessaria plura alia miracula, ut alia accidentia Eucharistica insint quantitati, quia subsistere aliis, sequitur connaturaliter ad hoc quod est subsistere in se: Ergo ex vi miraculi quo datur quantitati quod subsistat in se, sequitur quod subsistat aliis accidentibus Eucharisticis, sicut effectus secundarius sequitur connaturaliter ad primarium, maxime cum ipsa quantitas etiam ante consecrationem esset subjectum quo hujusmodi accidentium.

Ex his inferes, nullam fieri mutationem in reliquis accidentibus, sed in sola quantitate; nam sola manet separata a proprio subjecto, reliqua manent ut antea, totaliter ac sufficienter sustentata a quantitate.

17 Quaes, an divinitus & per aliud miraculum possint haec accidentia subsistere per se a quantitate separata? Respondeo affirmative: Ratio est, quia quantitas magis dependet a substantia, quam cetera accidentia a quantitate: Sed non obstante illa dependentia, quantitas existit sine subjecto: Ergo & alia accidentia poterunt divinitus a quantitate separari. Nec oppositum docet Divus Thomas, quidquid dicat Suarez; quando enim quodlibet 7. art. 10. asserit qualitatem separatam a subjecto, neque fore indivisibilem, neque ab aliis distinctam, hoc debet intelligi de qualitate a subjecto separata, tam secundum actum, quam secundum aptitudinem.

ARTICULUS III.

*Utrum quantitas communicetur a Deo modo existendi per se, ratione cuius subsistat independentem a subjecto, & aliis accidentibus subsistat?*

Negant plures ex nostris Thomistis, existimantes nihil de novo addi quantitati, ratione cuius per se existit, sed tolli tantum imperfectionem illam quae est actus in esse, & per solam Dei mantentiam conservari. Ita Paludanus, Soto, Nunno, Aravius, Joannes a S. Thoma, Philippus a S. Trinitate, Bellarmus, Valentis, Granado, & alii, quos citat & sequitur Martinez a Prado hic dub. 1. §. 3. Affirmant vero Cajetanus hic art. 1. Serra ibidem, Ferrazensis 4. contra Gentem c. 66. Nazarinus supra qu. 4. art. 1. Alvarez ibidem; & ex extraneis Suarez, Vasquez, Delugo, Coninck, & alii.

§. I.

Conclusio affirmativa servatur.

Dico igitur, quantitati communicari a Deo modum existendi per se, ratione cuius subsistit independentem a subjecto.

Probatur primo conclusio ex D. Thoma hic art. 2. ad 1. ubi ait, *Quando accidenti datur divinitus ut per se sit, potest etiam per se alterius accidentis subsistitum esse.* Idem docet art. 4. ad 2. & 3. Et 4. contra Gent. c. 66. haec scribit: *Miraculose accidentibus conferuntur quod subsistat, quod est proprium substantiae, & per consequens quod omnia possint facere & pati, quia substantia potest facere & pati, si substantia ad esset.* Demum in 4. dist. 12. quaest. 1. art. 1. quaestione 3. in corp. docet quod *virtute divina conferuntur dimensionibus quae fuerunt panis, ut sine subjecto subsistat in hoc sacramento, quod est prima proprietas substantiae.* Unde sic arguo: Quidquid existit per se, debet habere modum existendi per se: Sed quantitas in hoc sacramento existit per se: Ergo modus existendi per se ei communicatur a Deo. Minor patet ex locis jam adductis, Major probatur. Non potest effectus formalis competere alicui sine causa formali: Sed existere per se est effectus formalis alicujus formae, scilicet substantiae, aut modi existendi per se: Ergo cum aliunde quantitas non sit capax substantiae, dicendum est hunc effectum provenire a modo existendi per se, ipsi a Deo communicato.

Respondent Adversarii, quantitatem hoc ipso existere 18 per se, quod non inhaeret subjecto, absque aliquo modo superaddito.

Sed contra: Illud cui connaturaliter convenit esse in alio non potest existere per se, nisi immutetur, & aliquid de novo acquirat: Sed quantitas & cuilibet accidenti connaturaliter convenit existere in alio: Ergo non potest existere per se, nisi immutetur, & aliquid de novo acquirat. Minor patet, Major probatur: Tum quia existere per se est aliquis effectus realis ab aliquo principio formali pendens: Ergo quod modo existit per se, cum antea esset in subjecto, alio modo se habet quam antea: Tum etiam quia nisi immutetur & aliquid de novo acquirat, eodem modo semper se habebit, ac proinde non existit per se.

Dices, sufficere quod quantitas mutetur mutatione privativa, per hoc quod non habet modum actualis inhaerentiae quem antea habebat.

Sed contra primo: Sicut existere est effectus realis alicujus formae positiva, ita & existere per se: Ergo ut quantitas existat per se, debet mutari per receptionem alicujus formae & entitatis positivae.

Secundo: Semper videmus quod statim atque res aliqua privatur suo termino connaturali, mox alium consequitur: verbi gratia, quia humanitas Christi privatur propria substantia, divina supplet vices illius; & linea, cum privatur puncto continuativo, consequitur terminativum: Ergo similiter accidens dum privatur modo inhaerentiae, statim obtinet ex vi ejusdem actionis modum alium quem existendi per se.

Tertio: Per hoc quod destruitur actualis inhaerentia, accidens si sibi relinquatur, omnino perit: Ergo per solam hanc mutationem privativam, non potest conservari sine haec subjecto, nisi aliud aliud superaddatur.

Respondetis, illud positum quod superadditur, non esse aliud quam concursum specialem quo Deus conservat accidens sine subjecto.

Sed contra: Hic concursus seu actio qua Deus conservat quantitatem independentem a subjecto, debet necessitate distinguere ab actione qua illam conservabat ante consecrationem: Tum quia alias non esset aliquid speciale superadditum: Tum etiam quia hujusmodi actiones se habent sicut creatio &eductio, quia una conservat quantitatem dependentem a subjecto, & alia independentem ab illo: Tum denique quia una est naturalis & alia supernaturalis.

De Accidentibus Eucharisticis.

naturalis. Unde sic arguo: Ubi est specialis & aliquo modo diversa actio positiva transiens, debet esse specialis & aliquo modo diversus terminus productus, maxime quando actio est virtualiter tantum transiens, quae nihil dicit per modum viae & fluxus, sed tantum actionem immanentem cum termino a parte rei posito: Atqui nullum alium terminum potest habere specialis illa Dei mantentia & conservatio quantitatis, quam modum illum existendi per se: Ergo talis modus necessario attendendus est. Minor probatur, quia accidentia secundum se existunt ante hanc actionem, & consecrationem: sola autem separatio a subjecto, sine modo superaddito, est tantum negatio inhaerentiae actualis, quae proinde nequit esse terminus actionis realis & positiva: Ergo nullum alium terminum potest habere specialis illa Dei mantentia, & conservatio quantitatis, quam modum illum existendi per se.

Objicies contra istam conclusionem: Non minus repugnat accidenti modus per se subsistendi, quam substantiae modus inhaerentis: Sed repugnat substantiae communicari modum inhaerentis: Ergo & accidenti modum per se subsistendi.

Confirmatur: Vel modus ille esset substantialis, vel accidentalis? Neutrum dici potest: Ergo talis modus impossibilis est. Minor quantum ad primam partem, manifesta videtur: Tum quia nihil substantiale remanet post consecrationem, sed accidentia sola, ut docet Tridentinum sess. 13. c. 4. Tum etiam quia modus non potest esse perfectior suo modificato; si autem modus iste esset substantialis, perfectior esset suo modificato, scilicet quantitate. Tum denique, quia si modus ille sit substantialis, non potest non esse substantia, quae tamen nulli accidenti communicari potest. Probatur vero quod secundum. Nullum potest dari accidens cui ex natura sua repugnet inhaerere subjecto: Sed haec ex natura repugnat inhaerere subjecto, cum esset modus existendi per se: Ergo talis modus non potest esse accidentalis.

Ad objectionem respondeo negando Majorem, magis enim repugnat substantiae modus inhaerentis, quam accidenti modus per se subsistendi: Tum quia substantia magis est intrinseca substantiae, quam inhaerentia accidenti, illa enim convenit substantiae absolute & sine habitudine ad aliud, subindeque valde intime, & omnino intrinsece: haec vero competit accidenti per habitudinem ad aliquid extrinsecum: magis autem repugnat ut aliquid maxime intrinsecum rei anneratur, quam aliud quod non est illi intrinsecum. Tum etiam quia inhaerentia actualis non est de essentia accidentis; substantia vero actualis quae opponitur inhaerentiae, est essentialis substantiae, de cujus ratione est ut sit ens per se subsistens independentem a subjecto, quamvis substantia quae est terminus intrinsecae substantiae completa, quae est constitutiva suppositi, & ratione cuius substantia completa per se independentem ab alio supposito subsistit, non sit illi essentialis, sed ab ea realiter distincta, ut docetur in metaphysica; unde ab ea separari potest, & de facto in mysterio Incarnationis sui separata ab humanitate Christi, ad substantiam seu personalitatem Verbi Divini elevata.

Ad confirmationem respondeo utramque probabiliter sustineri posse, nimirum modum illum per se subsistendi quantitatis panis & vini divinitus communicatum, esse substantialem, vel accidentalem, & rationes in contrarium adductas, facile dilui potest. Unde si quis sustinere velit modum illum esse substantialem, ad primam probationem in contrarium facile responderi poterit, ideo Tridentinum asserere quod nihil substantiale remaneat post consecrationem, quia nihil manet de pane & vino, neque substantia, neque substantia, vel existentia illorum, neque alia substantia succedit, preter corpus & sanguinem Christi; cum quo non pugnat, si dicatur quantitatem modum aliquem substantialem quo per se subsistat, & aliis subsistat accidentibus, divinitus & supernaturaliter advenire.

Ad secundam vero probationem dicatur quod quamvis modus connaturalis rei quod modificat, non possit esse perfectior, bene tamen modus superioris ordinis & supernaturalis, ac non connaturalis, cuiusmodi est iste de quo agimus.

Ad tertiam, nego Antecedens; magnum enim reperitur discrimen inter substantialem, & hunc modum substantialem; nam substantia reddit naturam proximae capax existentiae, quam proinde antecedit: hic vero modus non reddit quantitatem capacem existentiae, sed eam saponit existentem, & est ejus terminus veluti extrinsecus.

Si cui vero non placuerit hic modus dicendi, addo alium qui asserit modum hunc per se existendi quantitatis divinitus communicatum, esse accidentalem ut quod & entitative, & substantialem solum, virtualiter & ut quo; sicut semen, licet inanimatum & expertis vitae, dicitur tamen vivum ut quo & virtualiter, quia est instrumentum naturale quo mediante generans genito vitam

communicat, vel sicut in sententia Cabrera, & quorundam Thomistarum, virtus elevans sacramenta ad producendam gratiam, est corporea ut quod, & entitative, & spiritualis solum ut quo, & virtualiter, quia est virtus Dei elevans sacramenta ad producendum effectum spirituale & supernaturalem, nempe gratiam vel characterem. Juxta, inquam, hunc dicendi modum, quem Suarez & alii ex nostris Thomistis amplectuntur, ad probationem in contrarium dicitur primo: quod quamvis nulli entitati accidentali possit repugnare inhaerentia, bene tamen alicui modo accidentali, praesertim si ille supernaturalis sit. Vel secundo & forte melius dici poterit, non repugnare quod talis modus inhaerent quantitati, & nihilominus faciat illam existere ut quod & entitative, non repugnare quod talis modus inhaerent quantitati, & nihilominus faciat illam existere ut quod & entitative, est tamen substantialis ut quo & virtualiter. Sicut ergo dialectici docent, quod secunda intentio universalitatis, natura a meo intellectu applicata, est in se aliquid singulare, & tamen ejus effectus formalis est reddere naturam universalem; quia licet sit singularis ut quod, est tamen universalis ut quo: ita similiter nullum videtur inconveniens asserere modum per se existendi divinitus quantitatem communicatum, inhaerere quantitati, & tamen illam reddere per se subsistentem, quia licet sit accidentalis ut quod, nihilominus est substantialis ut quo.

ARTICULUS IV.

*An ex speciebus sacramentalibus aliquid vere & proprie generari possit?*

Rationem dubitandi proponit D. Thomas hic art. 5. ad 6. in primo argumento quod sibi objicit, ubi sic dicitur: *Videtur quod ex speciebus sacramentalibus nihil possit generari. Quod enim generatur, ex aliqua materia generatur; ex nihilo enim nihil generatur, quamvis ex nihilo fiat aliquid per creationem: Sed speciebus sacramentalibus non subsistit aliqua materia, nisi corporis Christi, quod est incorruptibile: Ergo videtur quod ex speciebus sacramentalibus nihil possit generari.*

Propter hoc argumentum quidam Theologi partem negativam amplectuntur, & ex speciebus sacramentalibus non posse aliquid vere & proprie generari contendunt, Sed cum ad sensum pateat, & experientia constat, in speciebus Eucharisticis interdum vermes ex humiditate generari; ut ab hac difficultate se expediant, & huic rationi experimentali respondeant, in varios dicendi modos dividuntur. In primis enim quidam antiqui quos refert & impugnat D. Thomas hic art. 5. dixerunt, quod dum vermes in hoc sacramento generantur, talis generatio non fit ex speciebus sacramentalibus, sed ex aere circumstante, ita ut forma substantialis vermium educatur de materia aeris circumstantis. Alii quos etiam ibidem S. Doctor refert, asserunt hanc generationem fieri ex substantia panis & vini redeunte. Tertio, Scotus & Vasquez dicunt, vermes aut cineres qui interdum videntur generari ex speciebus consecratis, non produci virtute agentis naturalis, sed a solo Deo per creationem. Alii demum asserunt, quod dum vermes in Eucharistia generantur, quantitas panis convertitur a Deo in totum compositum, subindeque illud solum improprie dicitur agentibus naturalibus genitum; quatenus scilicet agentia naturalia, alterando & corrupendo species sacramentales, tales dispositiones in ipsis introducunt, quae connaturaliter petunt productionem talis compositi, ipsaque Deum ad ejus productionem, & conversionem quantitatis panis in ipsum, determinant. Ita Hispanensis qu. 1. notabil. 4. & quidam recentiores Thomistae in manuscriptis, Pro resolutione difficultatis.

Dico breviter: Ex speciebus sacramentalibus potest 23 naturaliter generari aliquid compositum substantiale. Ita D. Thomas hic art. 5. ubi sic dicitur: *Cum corruptio minus sit generatio alterius, ut dicitur in 1. de generatione, necesse est quod ex speciebus sacramentalibus aliquid generetur, cum corrumpantur, non enim sic corrumpuntur, ut omnino dispergantur quasi in nihilum redigantur, sed manifeste aliquid sensibile eis succedit.*

Qua ratio D. Thomae fundatur in experientia: videmus enim ex speciebus panis consecratis generari vermes ex humiditate, vel cineres ex illarum combustionem, aut acetum ex corruptione specierum vini.

Nec valet quod dicebant Auctores illi, quos ibidem 29 S. Doctor primo refert, nimirum quod illa non generantur ex speciebus sacramentalibus, sed ex aere circumstante. Hunc enim dicendi modum idem Doctor Anglicus ibidem triplici ratione convellit. Primo, quia generatio consequitur alterationem: nulla autem alteratio debet necessario praecessisse in aere circumstante. Secundo, quia ex aere non solum tertia, puta vermes, cineres, aut acetum, generari. Tertio, quia licet non circumfusetur aer, sed species recludantur in corporibus solidis, ut auro, argen-

arguendo &c. similis accidit generatio: Ergo non fit ex ac-

30 Non obicit etiam si dicatur cum aliis, generationem novi illius compositi fieri ex substantia panis aut vini que redat. Nam cum substantia panis & vini sit conversa in corpus & sanguinem Christi, non potest redire, manentibus speciebus, nisi vel per conversionem corporis & sanguinis Christi in ipsam, que conversio iterata non debet admitti, cum nullus haecenus eam agnovit: vel per reproductionem illius, que etiam admittenda non est, quia cum de via ordinaria non reproducatur idem numero, multiplicarentur miracula sine necessitate. Idem probat S. Thom. quia vel substantia panis rediret ante corruptionem specierum, vel illis omnino corruptis, in eo scilicet instanti quo destrueretur substantia panis aut vini, si adesset? Neutrum dici potest: Non quidem primam, quia substantia panis nunquam potest adesse sub speciebus, quamdiu sub ipsis remanet corpus Christi: Sed quamdiu species subsistant incorrupte, corpus Christi remanet sub illis: Ergo ante illarum corruptionem, non potest substantia panis redire. Non etiam secundam, quia substantia panis non potest manere, destructis accidentibus (intellige sine novo miraculo: Ergo non potest redire post corruptionem specierum.

Non potest etiam dici cum Scotto & Vasquez vermes aut cineres qui interdum videntur ex speciebus Eucharisticis produci, a Deo miraculose creati: Tum quia D. Thomas & alii Theologi communiter docent illos per generationem & educationem, non vero per creationem produci. Tum etiam quia cum in illa vermium aut cinerum productione, vera generatio salvari possit, ut patet ex infra dicendis, non est cur ad creationem recurratur, & miracula sine necessitate multiplicentur.

31 Equum non valet si dicas cum Hispalensi, & quibusdam recentioribus Thomistis, supra citatis, quod dum vermes in Eucharistia generantur, quantitas panis miraculose convertitur a Deo in totum compositum. Hoc enim aperte repugnat D. Thomae 4. contra Gentes cap. 66. ubi haec scribit: Si quis autem dicere velit, quod sicut miraculose panis in corpore Christi convertitur, ita miraculose accidentia in substantiam convertuntur: primum quidem hoc non videtur miraculo esse convenienti, quod sacramentum putrefactum, vel per combustionem dissolvatur. Deinde putrefactio & combustio confusio naturae ordine huic sacramento accidere invenitur: quod non solet esse in his quae miraculose fiunt. Ex quo loco fit postquam arguere, redigendo in formam rationem D. Thomae hoc pacto: Si Deus converteret quantitatem in totum compositum, putrefactio aut combustio specierum, non fieret confusio naturae ordine: Sed hoc dicitur nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris patet, quia fieret per conversionem miraculosa. Minor autem, praeterquam quod est D. Thomae potest adhuc probari, quia alias multiplicarentur miracula sine necessitate, quod tamen omnino vitandum est, ut sepe monuit S. Doctor. Sequela probatur, quia praeter miraculum ipsius conversionis, admitteretur adhuc aliud in eo consistens, quod agens naturale poneret omnes dispositiones ad aliquam formam, & tamen eam non introduceret.

32 Confirmatur: Si Deus converteret quantitatem in totum compositum, quando ex speciebus sacramentalibus produceretur vermes, talis productio, nullo plane modo posset dici generatio: Sed hoc manifeste repugnat D. Thomae, nec admittitur a recentioribus illis Thomistis contra quos disputamus: Ergo &c. Sequela probatur: Ad rationem generationis necessarium est, ut forma substantialis educatur de potentia subjecti, si illa sit educibilis, vel saltem attingatur unio materiae cum forma, quando forma ob suam immaterialitatem nequit educi, ut contingit in generatione hominis: Sed si quando ex speciebus sacramentalibus producerentur vermes, Deus converteret quantitatem in totum compositum, neque educeret forma, neque attingeretur unio ab agente naturali cum tota conversio fieret a solo Deo: Ergo nullo plane modo posset dici generatio.

33 Respondent illi recentiores Thomistae, quod quamvis agens naturale non educat formam vermium a materia, nec ejus unionem sua actione attingat, nihilominus potest adhuc dici quodammodo generare compositum, quatenus ex vi propriae actionis determinat agens primum ut producat totum compositum. Quod explicant exemplo B. Virginis: sicut enim (inquiunt) B. Virgo quamvis non attingeret unionem humanitatis Christi cum divina substantia, dicitur tamen generasse Deum, ex eo quod vi actionis naturalis quam exercuit circa humanitatem, debebat connaturaliter sequi propria substantia, loco cujus substituta est in eodem instanti substantia increata Verbi Divini, que quodammodo censetur complere actionem Beatae Virginis. Ita similiter, quia ad actionem agentis secundi naturalis, introducitur dispositio ad formam substantialem, debebat sequieductio ipsius formae, & generatio totius compositi, que tamen non est subsecuta, defectu materiae, po-

34 telt agens naturale dici quodammodo generare tale compositum.

Sed contra: Nulla actio potest esse nec subinde dici generatio, nisi attingat unionem materiae cum forma: haec enim ad minus est de essentia generationis; unde Beata Virgo non diceretur generasse Deum, si non attingeret unionem materiae cum forma humanitatis, a Verbo Divino assumpta: Ergo si quando ex speciebus sacramentalibus producerentur vermes, agens naturalia non attingunt unionem formae cum materia, sed quantitas panis convertatur a Deo in totum compositum, productio illa vermium, nullo modo poterit dici vera generatio, tum indeque dicendum erit, D. Thomam hic art. 5. & alibi saepe, inappropriatissime fuisse locutum, cum dixit ex speciebus sacramentalibus naturaliter posse generari aliquid compositum substantiale.

35 Dices: Idem S. Doctor hic art. 6. ait species sacramentales, converti in substantiam quae ex eis generatur. At substantia quae ex eis generatur non est materia, haec enim est ingenerabilis, sed compositum: Ergo ex Livio Thoma, quando ex speciebus sacramentalibus aliquid generatur, tunc quantitas panis a Deo convertitur in totum compositum.

36 Respondeo D. Thomam, nomine conversionis, non intelligere actionem aliquam divinam & miraculosa, a solo Deo procedentem, sed ipsam actionem agentis naturalis, quod generando ex speciebus sacramentalibus compositum de novo, potest dici convertere virtute talis actionis quantitatem in illam substantiam de novo productam; sicut ignis generando ignem ex ligno, dicitur convertere lignum in ignem. Quod vero haec interpretatio legitima sit, ex eo patet quod D. Thomas hic art. 5. ad 1. respondens difficultati in ratione dubitandi proposita, quomodo scilicet possit aliquid generari ex speciebus Eucharisticis, cum sub illis nulla sit materia ex qua forma educatur, recurrit ad quantitatem specierum, & ait illam in tali generatione gerere vires materiae: non debet autem S. Doct. ad hoc recurrere, nec tantopere laborare ad inveniendum subjectum ex quo forma educatur, si existimaret ibi nullam intervenire formam educationem, sed quantitatem panis in totum compositum de novo generatum converti, ut docent recentiores illi Thomistae contra quos disputamus: Ergo &c. In quo verofensu intelligendum sit id quod ait S. Thomas, nempe quantitatem in praedicta educatione & generatione vermium, gerere vires materiae, explicabimus articulo sequenti, ubi etiam rationi dubitandi initio. hujus articuli propositae, plene satisficiemus.

ARTICULUS V.

Utrum in generatione vermium ex speciebus Eucharisticis adveniat nova materia a Deo producta, ex cujus potentia educatur forma vermium, vel ipsa quantitas tunc gerat vires materiae?

37 Fuit olim celebris opinio quorundam Theologorum existimantium, quod quando ex speciebus Eucharisticis generatur aliquid, nulla producitur a Deo materia prima, ex cujus potentia educatur forma substantialis generata: sed quod ipsa quantitas tunc gerat vires materiae: non solum ad recipiendum dispositiones praevias, sed etiam ad educationem formae substantialis compositi de novo generati, ita ut compositum illud constet solum quantitate & forma substantiali. Ita docent Henricus quodlib. 4. q. 30. Egidius Theoremata 44. & 45. Ruardus 1. oper. artic. 14. & ex Thomistis Ferrarvensis 4. contra Gentes cap. 66. & Viqueirus in Institutionibus Theologicis cap. 16. §. 3. Illi etiam aperte favere videtur S. Thomae hic art. 5. in corpore haec scribit: In ipsa consecratione miraculose datur quantitati dimensura panis & vini, quod sit primum substantiam subsequenter formam: hoc autem est proprium materiae, & ideo ex consequenti datur praedicta quantitati dimensura omne illud quod ad materiam pertinet, & ideo quicquid possit generari ex materia panis, si adesset, totum potest generari ex praedicta quantitate dimensura panis & vini, non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti.

Dico tamen, quando ex speciebus sacramentalibus aliquid generatur, produci a Deo materiam primam, ex cujus potentia educatur forma substantialis generata, & in qua recipitur, & non in quantitate.

38 Probat, primo ex D. Thomae in 4. dist. 11. qu. 1. art. 2. §. 4. ad 4. ubi haec scribit: Secundum quamlibet positionem oportet ponere aliquid in hac generatione esse miraculosum, & aliquid naturale: videtur enim substantiam, vel creatio materiae, vel conversio dimensionum in materiam, esse miraculosum. Sed quod materiae jam existens recipiat talem formam, cujus dispositiones praesertim in dimensionibus, hoc est naturale. Quibus verbis clarissime docet, quod quando ex speciebus sacramentalibus aliquid generatur, produci a Deo materia prima, vel per creationem, vel per conversionem quantitatis in ipsam.

Nec valet expositio Ferrarvensis, dicentis per conversio-

39 nem dimensionum in materiam, non intelligere D. Thomam destinationem dimensionum, & inaccessionem materiae loco ipsarum, sed proprietatem ipsarum transire in proprietatem materiae, in quibus manentibus, & vim substantiae retinentibus, recipitur forma substantialis. Non valet, inquam, haec interpretatio, repugnat enim manifeste menti Sancti Doctoris, nam hic art. 5. ad 2. asserit quantitatem specierum, quae miraculose accipit vim & proprietatem substantiae in consecratione, transire in substantiam & dimensionem, rei scilicet generatae ex ipsa. Et artic. 6. in corp. ait: Dicitur autem quod species sacramentales possunt converti in substantiam aliquam. Ex ibidem cum sibi opposuisset quod non videtur nutritio posse fieri ex speciebus sacramentalibus, quia ex illdem nutritur ex quibus fumus, homo autem non constat speciebus sacramentalibus, cum nullam accidentis posse esse pars substantiae, sic respondet: Ad secundum dicendum quod species sacramentales, est non sicut ea, ex quibus corpus hominis constat, tamen in ea convertuntur, sicut dictum est: Ergo censet D. Thomas, tunc non manere quantitatem quae gerat vires materiae, sed eam converti in substantiam qua homo nutritur. Unde in 4. dist. 12. quaest. 1. artic. 1. quaestione 5. ad 2. sic ait: Accidentia manentia in suo esse accidentali non nutriunt, sed eo modo quo in aliud convertuntur, vel aliud sub eis creatur, vel redit. Quibus verbis aperte declarat, in nutritione hominis ex speciebus sacramentalibus, vel in generatione vermium ex illis, accidentia separata non manere ut subjectum formarum substantialium; quamvis sub opinione relinquat, an materia ex qua constat genitum fiat per conversionem, vel creationem, vel reditum. De quo postea.

40 Probat secundo conclusio ratione fundamentali. De ratione omnis compositi materialis & physici est, consistere ex materia & forma; nec potest dici aliter corpus physicum: unde D. Thomas 1. parte quaest. 75. artic. 4. & 1. contra Gentes cap. 21. docet quod homo & reliqua entia naturalia, ex sua definitione & essentia, constant materia & forma, tamquam partibus intrinsicis & essentialibus: Sed vermis ex speciebus sacramentalibus generatus, est vere compositum physicum & materiale: Ergo constat ex materia & forma, subindeque quando generatur ex hujusmodi speciebus, necessario produci debet a Deo materia prima, ex cujus potentia, forma substantialis vermium educatur.

41 Confirmatur: Compositum physicum est ens per se: Sed ex quantitate & forma substantiali non potest resultare unum per se: Ergo nec compositum physicum. Major patet, Minor probatur. Compositum per se debet fieri ex actu & potentia: Sed quantitas & forma substantialis non se habent per modum potentiae & actus, cum actus & potentia, juxta Aristotelem, debeant esse ejusdem generis: Ergo ex quantitate & forma substantiali non potest resultare unum per se.

42 Probat tertio conclusio: Quando ex speciebus Eucharisticis generantur vermes, forma substantialis compositi generandi, educitur ab agente naturali: Sed non potest educi ab agente naturali de potentia quantitatis: Ergo necesse est quod tunc producatur a Deo aliqua materia, & ejus sine forma substantialis vermis educatur. Major patet ex supra dictis, Minor vero probatur. Agens naturale non potest educere formam de potentia subjecti, nisi illa potentia sit naturalis, haec enim sola continetur intra limites agentium naturalium: Atqui potentia quam habet quantitas ad formam sustentandam, non est naturalis, sed ad summum obedientialis, subindeque soli Deo subjecta: Ergo agentia naturalia non possunt educere formam vermium & sine quantitatis.

Dices, quod quamvis quantitati absolute non sit naturalis illa potentia receptiva formae substantialis, bene tamen quantitati per se subsistenti, ideoque supposito primo miraculo, quo quantitati datus est modus per se existendi, naturale ipsi erit quod recipiat formam.

43 Sed contra: Capacitas recipiendi non convenit quantitati ratione illius modi, sed ratione propriae entitatis: Ergo si antea non habeat capacitatem naturalem, nec potest habebit. Consequenter manifesta est, Antecedens probatur ex eo quod caussae materiales & formales non alio modo causant, quam per exhibitionem & communicationem propriae entitatis; unde dicitur communiter quod in causis materialibus & formalibus non datur distinctio potentiae ordinariae & extraordinariae.

44 Denique suaderi potest conclusio ex variis absurdis & inconvenientibus quae sequuntur ex adversa sententia. Si enim genitum ex speciebus sacramentalibus, nulla constaret materia, sed solum quantitate, vires materiae gerente, & formam productam sustentante, sequeretur in primis quod vermes generati ex speciebus sacramentalibus, non essent composita neque substantialia neque accidentalia, sed monstra naturae, aut semi-substantiae, & semi-accidentia. Secundo sequeretur quod acetum ex speciebus vini corruptis genitum, non esset ejusdem naturae & speciei, cum alio aceto ex vino corrupto genito.

subindeque quod non posset eodem specie producere effectus. Tertio, daretur miraculum perpetuum: quantitas enim illa quae rationem haberet materiae, esset sine subjecto, non solum quamdiu duraret Eucharistia, sed etiam postea, usque ad finem mundi, ita ut licet infinitae generationes herent successive ex ipsa, semper sine subjecto remaneret, & vicem materiae primae exerceret, quia non est major ratio de una generatione, quam de alia. Demum fieri posset ut qui nutritur solis speciebus Eucharisticis, ita se haberet quod ejus anima partim informaret materiam primam, partim solum quantitatem; & sic quod ille non esset nisi semi-homo, & semi-compositum. Quod est (ut recte ait Soto) totam Philosophiam ludibrio exponere.

45 Ad locum vero D. Thomae, qui est praecipuum Adversariorum fundamentum, facilis est responsio, dicendo cum Cajetano, Capreolo, & aliis Thomistis, mentem D. Thomae esse, quantitatem specierum accipere miraculose in ipsa consecratione, quod fungi possit officio materiae, & esse subjectum subsequenter formarum accidentalium, nempe qualitatium, species consecratas alterantium, non vero formae substantialis compositi quod de novo produceretur, ad corruptionem illarum specierum. Unde cum addit: Quidquid possit generari ex materia panis, si adesset, totum potest generari ex praedicta quantitate dimensura, non sumit generationem per educationem & receptionem formae generatae (illa enim non ex quantitate, sed ex materia a Deo producta educitur, & in ejus sine recipitur (ut supra ostensum est) sed pro alteratione praecedenti, quae ad talem educationem & forma receptionem disponit: haec enim alteratio in quantitate vires materiae gerente recipitur.

46 Si autem queras, per quam actionem a Deo produceretur materia a cujus sine forma compositi generati educitur, an per creationem, vel per conversionem quantitatis specierum in ipsam? Respondeo breviter, quod licet Divus Thomas, loco supra in prima probatione conclusionis citato, hoc indecivum reliquerit, & utranque probabiliter dicaverit, dicens illam vel per creationem, vel per conversionem fieri: nihilominus magis convenienter dicitur fieri ex quantitate per conversionem, quam de novo creati. Tum quia magis conaturalis videtur, ut illud subjectum in quo agens naturale introduxit accidentis dispositionem ad formam substantialem; cum non possit recipere ipsam formam substantialem, converteretur a Deo in materiam in qua debet recipi talis forma. Tum etiam quia ex vi prioris miraculi, magis conaturaliter sequitur, ut sicut substantia panis fuit in corpore Christi conversa, ita quod remanet de substantia panis, scilicet quantitas, convertatur in materiam ex qua educenda est forma substantialis. Unde D. Thomas hic art. 5. in corp. & in resp. ad 2. & ad 3. docet, cum ex speciebus consecratas aliquid compositum substantiale generatur, materiam produci in instanti generationis, per conversionem quantitatis in ipsam.

47 Sed circa hoc gravis occurrit difficultas quae solet pertractari in Philosophia; quomodo scilicet in tali causa vera generatio salvari possit? Omnis enim generatio creata essentialiter est mutatio; unde Philosophus 8. phys. textu 62. ait quod generatio est mutatio de non ente in ens, & D. Thomas quaest. 2. de potentia art. 1. ad 15. dicit quod generatio est species mutationis: At si cum ex speciebus consecratas aliquid compositum substantiale produceretur, materia solum in instanti generationis produceretur a Deo per conversionem quantitatis in ipsam, non poterit vere mutari, seu transire de privatione ad formam, cum in instanti generationis ipsa forma in eam introduceretur: Ergo tunc non poterit esse vera generatio.

48 Huius difficultati dupliciter respondent Thomistae in Philosophia: Carmelita enim Complutensis dist. 2. de generat. quaest. 2. §. 4. & 5. cum aliis quos referunt, dicunt generationem substantialem non esse essentialiter mutationem, sed substantiam quae definitur per mutationem, quia cum per se petit, etique vera radix illius; subindeque afferunt, quod quamvis naturaliter non possit dari generatio sine mutatione, supernaturaliter tamen sine illa esse potest; & de facto sine illa reperitur, cum ex speciebus sacramentalibus corruptis aliquid compositum substantiale generatur.

49 Alii vero qui existimant generationem creatam esse essentialiter mutationem, aliter argumento respondent. Nam Joannes a S. Thoma lib. 1. de generat. q. 1. art. 1. & Martinus a Prado ibid. q. 3. n. 18. dicunt quod cum de aequalitibus eadem sit ratio, & idem iudicium, ut ait Cajetanus hic art. 5. ad 4. ad hoc ut productio vermium ex speciebus sacramentalibus sit vera generatio, & mutatio, sufficit quod aliquid aequalitibus materiae, & generis vires illius, scilicet quantitas, toto tempore antecedenti instans generationis, sub privatione formae fuerit.

50 Alii tandem asserunt, quod ut aliqua productio sit vera generatio, seueductio, non requiritur quod subjectum praecedat formam educendam, prioritate temporis, sed sufficit prioritas naturae, in genere causae materialis: Deus enim

